et iterato reciperet elemosinam, in prejudicium faciens ceteris pauperibus, capillorum eiusdem truncacionem ad confessionem sustineret. Tunc casu juvencula quedam Hyldegundis nomine capillis ornatissima, que legem predictam ignorabat, subito supervenit, non elemosinam venerat acceptura, sed sororem infirmam visitatura. Hec deducta ad presenciam beate Elyzabeth, tamquam legem prefatam non servasset, quesitum est ab ipsa beata Elyzabeth, quid juris esset de illa. Et videns pulchritudinem capillorum illius jussit statim illos precidi. Tunc virgo amissis capillis cepit alta voce flere. Accedentes autem quidam qui illam innocentem esse noverant, dixerunt quod puella minus debite esset punita. Quibus beata Elyzabeth respondit: Saltem cum hujusmodi capillis coreas non frequentabit. Et statim jussit puellam ad se vocari, requirens ab ea, si nunquam propositum vite melioris concepisset. Respondit illa, quod nisi pulchritudo capillorum ipsam impedivisset, diu domino in habitu religionis servivisset. Et dixit ei famula dei: Malo te capillos perdidisse, quam adepto imperio fuisse filiam meam.

capᵈ, lib. … 6, 1

× vl saltem

! qm adepto | imperio fuisse filiam meam [illegible] bei Mencken 2025: quam quod filius meus factus esset Imperator. Es wird zu lesen sein adeptum imper. fuisse filiam meam